



**E**berhardus Coloniae natus & educatus fuit. Is à pueris operam literis dedit, atq; oratoriae arti & Poëticae diligenter incubuit. inde animum ad facrarum literarum studium conuertit, & Theologiae Doctor creatus fuit, nec quidē uulgaris, uerū in omni genere disciplinarum talis, qui etiam doctissimi conferri posset. Itaq; factum ut 1542 Aquisgranī ordinis Carmelitarum prouincialis constitutus sit. postea quoq; Coloniensis suffraganeus ordinatus. Cum etiam hinc inde Theologorum colloquia instituerentur, ut in controuersis articulis concordia iniretur, hic Eberhardus saepius pro Catholicis respōdit, & disputauit. quin etiam initio 1546 cū Petro Maluenda, & Iohanne Hoffmeistero Ratishonae à Cæsare nominatus, ut cum Bucero, Brentio & alijs aduersae partis Theologis conferret, & serio disputaret: id quod etiam factū est. Nam Bilickius acerrimè Bucero restitit, atq; postea tractatum de peccato originis scripsit & edidit. Pari ratione Eberhardus postea in Tridentina synodo sepe proposuit & disputauit, atq; ob multam eruditionem & eloquentiam sibi magnam autoritatem conciliauit.

Vbi etiam inter patres 13 Ianuarij anno 1525 uitam cum morte commutauit. Anon.